

1489. In Aeschyli Persis sic vulgatur v. 12. et 13.

πᾶσα γὰρ ἵσχὺς Ἀσιατογενῆς
οἴχωκε· νέον δ' ἄνδρα βαῦζει.

In his dum clauditur sententia, versus requiritur paroemiacus, quo sponte dicit in ultimis modulus — δρα βαῦζει. Sed quis obsecro vel quae regio βαῦζει; ἡ Ἀσία respondet scholiastes, huiusque vestigiis insistens Stanleius. Quid illa latratu requirit? νέον ἄνδρα· sic iuventutem appellasset Aeschylus. Quantivis pretii lectionem servavit scholiastes: γράφεται, inquit, ταῦτα οὖν, ὅτοι τὸν ἴδιον ἄνδρα. Hoc ita placet, ut alterum tamen νέον non reiecerim: hanc vocem, in antiquis exemplaribus hoc in loco lectam, suspicor oculos fefellerisse desribentis, ut duas intermedias praetermiserit, quarum altera desierit in easdem litteras: has utinam nobis vir clarissimus Antonius Askewius ex codd. vetustis revocaret. Interim lubet hariolari. Suspicor basin anapaesticam hic praecessisse versum paroemiacum, atque ita scripsisse tragicum:

πᾶσα γὰρ ἵσχὺς Ἀσιατογενῆς
οἴχωκε νέον,
[Περσὶς δ' ξὸν] ἄνδρα βαῦζει.

Quae vulgatis esse meliora non diffitebitur in tragicis exercitatissimus Anglus: reliqui, si qui Persida sic mirabuntur ab Asia distinctam, legant ex eodem dramate v. 249. 250. ὁ γῆς ἀπάσης Ἀσιάδος πολίσματα, ὁ Περσὶς αἷς ταῦτα πολὺς λιμήν, et seqq. conf. v. 59. et seqq. 512. 548. 925. — Illud Ωἰχωκε (nam si quis Aeschyleam veterem praeoptaret scripturam, ΟΙΧΟΚΕ foret reponendum) νέον, id est νεωστὶ, peropportunum est et Aeschyleum; in huius Prom. v. 954. Νέον νέοι κρατεῖτε· Schol. recte, Νέον, inquit, νεωστὶ· οὐ γὰρ ἀρχαία ὑμῶν ἡ βασιλεία. Bacchum, cuius adsperrabatur sacra, τὸν νεωστὶ δαίμονα vocat Pentheus in Eurip. Bacch. v. 219. et in his Phoen. 1637. novellum Regem exosa Antigone τὸν νεωστὶ κοίρανον. frequens ἦκω νεωστὶ, Aeschylus Agam. v. 1634. ἥκοντας ἐξ μάχης νέον. est illud Homericum, Sophocli nusquam, in Euripideis semel adhibitum. Doleas hic, ut alibi non semel, obrutum doctrinae copia iudicium viri praestantissimi. Nam ne quid dicam de paroemiaco, qui hic ne placere. quidem potest, quum vis sententiae in sequentibus verbis insit, quis credat poetam οἴχωκε νέον scripsisse, quum, si nuper abiisset exercitus, ridiculum foret sollicitos esse qui domi manserant. Immo iam diu abesse exercitum necesse erat, si illi metuerent, idque ipse poeta, ut par erat, indicavit non modo his verbis, κούντε τις ἄγγελος, οὔτε τις ἱππεὺς ὄστη τὸ Περσῶν ἀφιζνεῖται, sed apertius etiam infra v. 64. τοκέες δ' ἄλογοι θ' ἡμερολεγδὸν τείνοντα χρόνον τρομέονται. Verum in vulgata scriptura explicanda et illud perdurum atque adeo ineptum est, θυμός ad βαῦζει intelligere, nec probari potest illorum sententia, qui Ἀσία ex Ἀσιατογενῆς repetunt. Quod nego fieri posse servato νέον ἄνδρα. Nam quum in adiectivo latet genitivus pominis, quod ad sequentia intelligen-